



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio IC. De peccatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPV TATIO LXXXIX.

De Peccatis.



N primâ Theologiae suae parte Doctor Angelicus Deum nobis cum infinitis suis perfectionibus & attributis proposuit, supremumque illud Numen, tum naturali vi ingenii, tum luce è caelo acceptâ felicissimè expressit, ac velut in speculo, quantum mortalibus fas est, spectandum exhibuit. Reliquum verò nobilissimi operis usque ad tertiam Summæ Theologicæ partem, in hominis ad Dei imaginem creati consideratione impendit, internâque animi illius effigie, qua præcipuè Deum refert, contemplandâ; quibus scilicet natura & gratia mixtis inter se, singularique venustate attemperatis coloribus constet; quibus etiam lineamentis, ut ita dicam, & tractibus summi artificis manu ductis efformetur. Hic autem labes illas & maculas, si qua fortè hominis culpâ irrepsent, & hujus pulchritudinem imaginis immuerint, perpendit, ut earum naturâ perspectâ, & quæ irrepsent facilius expellantur, & illarum deinceps ingressui aditus præcludatur.

SECTIO PRIMA.

Quaedam breviter circa peccati naturam annotantur.

I.
Peccatum
multiplicem
dicit respectum.



PECCATUM, ut hujus decursu tractatus constabit, multiplicem dicit respectum: primò ad Deum, quem offendit, ratione cuius peccatum mortale gravitatem illam & malitiam habet, quæ vel infinita est, ut multi volunt, vel saltem superioris ordinis ad omnem satisfactionem creatam, ita ut ad condignam illius compensationem opus fuerit, ut Persona divina naturam creatam assumeret, & sua merita Deo pro illius remissione offerret. Plura hac de re in materiâ de Incarnatione.

Vnde peccati
mortalis gra-
uitas desum-
itur.

II.
Secundus
peccati res-
pectus est ad
naturâ rati-
onalem.

Secundò peccatum respectum dicit ad subiectum, naturam scilicet rationalem, à qua haurit rationem culpæ: conceptus siquidem peccati seu vitii latius patet quam conceptus culpa. Hinc S. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio, cap. 14. de vitii universum loquens, sic habet: Quod perfectioni naturæ deesse perspexeris, id voca vitium. Quare vitium, seu peccatum hoc generali modo sumptum, ut notat Bellarminus lib. 1. de amissione gratiæ, cap. 1. & Tannerus 1. 2. Disp. 4. q. 1. dub. 2. colligiturque ex S. Thoma 1. 2. q. 21. a. 2. ad 2. dividitur in peccata naturæ, artis & moris: naturæ, qualis est claudicatio tibiæ; sicque Sanctus Augustinus libro de perfectione justitiæ, cap. 4. vitium curvati tibiæ comparat, peccatum claudicationi. Peccatum artis est incongrua locutio. Denique peccatum moris, est actus aliquis liber: contra rectam rationem elicitus.

Peccata na-
tura artis,
& moris.

III.
Latius patet
peccatum
quam culpa.

Ex quibus constat, quod proximè dixi, latius scilicet patere peccatum, quam culpam, peccatum siquidem dicit defectum in quacunque ope-

ratione, sive præcepta sit sive non: culpa verò ulterius impartat operationem moralem, quam vel faciendi vel omitendi est obligatio. Hic tamen promiscuè & pro eodem sumimus peccatum & culpam, pro actione scilicet quæ hominem Dei inimicum facit, poenæque reddit obnoxium.

Tertius peccati respectus est ad finem, à quo nimirum declinat & deviat, à rectitudine scilicet, quam & natura rationalis, & quævis illius operatio spectare debet, ut honesta sit, & talis qualis operantem decet. Quartò respicit principium, rationale nimirum & liberum; quod enim liberum non est, moralem vel bonitatem vel malitiam habere nequit, cum morale & liberum idem sint, ut supra, Disp. 88. sect. 1. ostensum est. Quintò respicit legem, quam dum transgreditur, dicitur prævaricatio, inobedientia, & iniquitas.

IV.
Tertio peccati respectus est ad finem.

Quartus peccati respectus est ad principium.

Quinto respicit legem.

Sextò denique peccatum respicit præmium & poenam, per peccatum siquidem summum illud præmium, caelestem scilicet beatitudinem bene operantibus, Dei que præcepta observantibus, promissam, demerentur homines dum peccant, æternique supplicii reatum incurrunt. Imò in hac etiam vitâ, gratia, cujus augmentum simul cum virtutibus infusus ei annexis, bonis operibus tantam præmium confertur, per peccatum mortale tota amittitur, & homo in miserissimo planè statu constituitur.

V.
Sextus peccati respectus est ad præmium, & poenam.

Dividi in primis peccatum solet in peccatum per excessum & defectum. Hanc peccati divisionem tradit S. Thomas hic, q. 72. art. 9. secutus Aristotelem secundò Ethic. cap. 6. 7. & 8. est que Philosophorum moralium & Theologorum communis sententia. De iis verò tantum peccatis intelligenda est hæc divisio, quæ opponuntur virtutibus in medio consistentibus; omnes quippe virtutes non consistere in medio, seu non habere duo vitia extremè opposita, inter quæ versentur, ostendi supra, Disp. 97. sect. quintâ. Ratio verò præsentis

VI.
Peccatum aliud per excessum, aliud per defectum.

De quibus peccatis hæc divisio intelligatur.

presentis divisionis est; cum enim hæ virtutes in medio consistant, omnis ab iis recessus, qui necessariò vel per excessum fit vel defectum, est vitiosus, utpote vel uno modo vel alio virtutibus illis contrarius. Imò etiam contra virtutes, quæ duo hujusmodi vitia opposita non habent, peccari aliquo modo potest per excessum & defectum, per actum scilicet commissionis & omissionis, ut contra charitatem erga Deum, vel actum odii Dei eliciendo, vel actum amoris, cum eliceretur debet, omittendo.

VII.
Peccatum spirituale & carnale.

Hanc peccati divisionem tradit Apostolus.

Secundò dividitur peccatum in spirituale & carnale, nempe ex materia circa quam versantur; peccatum enim spirituale est quod est circa materiam spirituales; carnale quod circa corporalem, corporis præcipue oblectationes, & similia. Hinc S. Gregorius lib. 31. Moralium, cap. 31. ex septem vitiis capitalibus duo ait esse carnalia; luxuriam scilicet & gulam, reliqua spiritualia. Ad hanc peccati divisionem allusit videtur Apostolus 2. Corinth. 7. v. 1. dum ait: *Mundanus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perscipientes sanctificationem in timore Dei.* Hæc ille: quibus verbis peccatum omne in carnale & spirituale dividere videtur.

SECTIO SECUNDA.

Reliquæ peccati divisiones, & alia ad naturam peccati cognoscendam necessaria.

I.
Peccatum contra Deum, seipsum, & proximum.

II.
Peccatum cordis, oris, & operis.

III.
Peccatum ex ignorantia, ex passione, & ex malitia.

TERTIA peccati divisio est in peccatum contra Deum, seipsum, & proximum; sicut enim homo per diversas virtutes rectè erga Deum, seipsum, & proximum ordinatur, ita similiter per diversa peccata, erga Deum, seipsum & proximum deordinatur: quamvis namque peccatum omne, quod est contra seipsum aut proximum, sit etiam contra Deum, quædam nihilominus peccata peculiariter sunt contra Deum, ut hæresis, blasphemia &c. quædam peculiariter contra proximum, ut peccata injuriæ; peccata verò intemperantiæ sunt contra seipsum.

Quartò dividitur peccatum in peccata cordis, oris, & operis. Peccatum cordis illud propriè dicitur, quod merè internum est, & in solâ mente consummatur, ut hæresis, odium &c. peccatum oris est illud, quod ore seu linguâ perpetratur, ut contumelia, detractio &c. peccata denique operis sunt quæ exterius & opere consummantur, ut adulterium, homicidium & similia. Hanc peccati divisionem apertè tradit S. Hieronymus in cap. 43. Ezechielis prope finem: *Tria, inquit, generalia delicta monstrantur, quibus omne mortalium subjacet genus. Aut enim cogitationibus, aut sermone, aut opere peccamus.*

Quintò peccatum dividitur in peccatum ex ignorantia, passione, & malitia. Hæc peccati divisio habetur ex S. Thomâ 1. 2. q. 76. 77. & 78. Peccatum verò ex ignorantia non ita intelligendum est, quasi malitia peccati penitus ignoraretur, sic enim non esset peccatum, cum malitia planè ignorata perinde est ac nulla, ut supra latè declaratum est. Peccatum itaque ex ignorantia tunc contingit, quando quis ex negligentia omisit veritatem inquirere, cum tamen potuisset, ac debuisset, de quo latè supra, Disp. 88. sect. 3. 4. & quintâ. Peccatum ex passione est cum quis ve-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

hemente motu appetitus, ad peccandum allicitur, sicque & vocatur peccatum ex infirmitate. Tandem peccatum ex malitiâ illud dicitur, quando quis neque ex ignorantia ullâ antecedente, nec motu appetitus ad opus aliquod stimulante, sed merè quia vult peccatum aliquod admittit; & hoc peccatum ex omnibus juro censetur gravissimum.

Peccatum ex malitiâ ex omnibus est gravissimum.

IV.

Peccatum commissio- nis & omissionis: mortale & veniale, personale & originale.

V.

Homo per peccatum mortale tria mala incurrit.

VI.

Verum omne peccatum sit in voluntate.

VII.

Peccata hæresis & infidelitatis quo pacto sint in voluntate.

VIII.

Peccata externa, homicidium, furtum, &c. esse, non existunt: dico enim quamvis actus ipsi externi non sint in voluntate, volitio tamen ad quam sequuntur, & per quam voluntarii & peccati formaliter rationem sortiuntur, est in voluntate, quamvis actus ipsi externi non in voluntate, sed in partibus corporis, aut materiâ aliquâ exteriori subjeçantur.

IX.

Potest peccatum mortale cum virtutibus acquisitis, & gratia cum habitibus vitiosis coexistere.

Sextò dividitur peccatum in peccatum commissionis & omissionis, sive detur pura omisso sive non, sed tantum actus positivus quo quis vult præceptum aliquod non implere. Septima peccati divisio est in peccatum mortale & veniale; octava in peccatum personale & originale: de quorum singulis agemus suis locis.

Circa peccatum generatim sumptum, qua solùm ratione hic de eo loquimur, notandum, hominem per omne peccatum mortale tria mala incurrit: maculam, quæ animam rebus omnibus aliis turpiorem reddit, Deoque & Angelis odibilior: naturæ corruptionem, ex qua fit ut diu sine novo peccato homo non persistat: ac denique reatum æternæ pœnæ, qui peccatum grave semper comitatur.

Quæres, utrum omne peccatum (sermo solùm est de internis) sit in voluntate? Hæc quaestio in illâ tantum sententiâ locum habet, quæ potentias ab animâ, & inter se distinguit, in aliâ enim, ut constat, nulla esse potest difficultas. Dico itaque, postâ potentiarum inter se, & ab animâ distinctione, peccatum omne esse in voluntate. Ratio est, peccatum siquidem, ut est manifestum, debet esse voluntarium & liberum, & voluntatem propriè denominare liberè agentem, ergo non tantum procedere debet à voluntate, sed in eâ etiam recipi & subjactari: quod insuper probat debere omne peccatum subjactari similiter in animâ, quamvis voluntas ponatur realiter ab eâ distincta, ut latè ostendi Disp. 13. de animâ, cui proinde hic non insisto.

Dices: hæresis & infidelitas sunt peccata, hæc autem nec à voluntate procedunt, nec in eâ recipiuntur, sed in intellectu, à quo etiam producuntur, ergo omne peccatum non est in voluntate. Respondetur, hæresim quidem & infidelitatem, prout dicunt actus intellectus, non esse in voluntate, sed in intellectu, ut verò sunt peccata involvunt actus voluntatis, cujus consensu vel imperio eliciuntur, & unde hauriunt libertatem, sine qua, ut supra Disp. 85. & alibi ostendi, nullum esse potest peccatum. Jam verò hic actus voluntatis, à quo hæresis & infidelitas rationem peccati accipiunt, est in voluntate.

Eodem modo respondendum si quis arguat peccata externa, furtum, homicidium &c. esse, peccata, quæ tamen in voluntate non existunt: dico enim quamvis actus ipsi externi non sint in voluntate, volitio tamen ad quam sequuntur, & per quam voluntarii & peccati formaliter rationem sortiuntur, est in voluntate, quamvis actus ipsi externi non in voluntate, sed in partibus corporis, aut materiâ aliquâ exteriori subjeçantur.

Notandum denique, licet peccatum mortale gratiam & charitatem, ut diximus, excludat, virtutesque omnes morales infusas ad gratiam consequentes, potest nihilominus peccatum mortale simul cum virtutibus moralibus acquisitis, etiam intensis consistere, ut cum is qui diu se in virtutibus moralibus exercuisset, subito in grave aliquod peccatum incidit. Econtra etiam gratia

P p

stare

flare potest cum intensis habitibus vitiis, dum nimirum peccator post gravia diuturno tempore admitta delicta, per actum contritionis, vel sacramentum etiam poenitentiae recipit gratiam. Ratio utriusque est, boni siquidem & mali habitus

naturales, ut paulatim & successivè communiter acquiruntur, ita non nisi successivè, saltem ut plurimum, desinunt ac destruantur. Plura hac de re infra, Disp. 101. sect. 2. num. sexto.

DISPUTATIO C.

Virum malitia peccati commissionis consistat in positivo, an privato.

PRÆCIPUA circa peccatum commissionis, acerrimèque in Scholis disputata questio est, in quo formaliter ejus malitia consistat, positivo an negativo, privatione scilicet rectitudinis inesse debita, qua de re non levem video inter Auctores dissensionem. Tres quippe sunt sententiae, quarum singula patronos habent non infima notæ Theologos: prima eam in privato statuit; secunda in positivo; tertia in utroque. Quid in hac controversiâ dicendum sit, sequentibus Sectionibus videbimus.

SECTIO PRIMA.

Refertur & impugnatur sententia, peccati commissionis malitiam statuens in privato.

I.
Quid nomine peccati commissionis intelligatur.



AD rectam hujus difficultatis intelligentiam præmittendum, peccatum commissionis illud dici, quo quis legem transgreditur per quam aliquid prohibetur, seu per quam præcipitur ne aliquid fiat, quod proinde quisquis præstat, reus hujus præcepti efficitur, & in peccatum commissionis incidit. Quando autem jubetur aliquid fieri, quisquis hanc legem vel præceptum violat, seu non facit quod mandatur, in omissionis peccatum censetur incurrisse.

Peccatum omissionis.

II.
Prima sententia affirmat malitiam morale peccati commissionis consistere in privato.

Prima itaque sententia affirmat formale, seu malitiam morale peccati commissionis consistere in aliquo negativo, carentiâ scilicet alicujus perfectionis, seu privatione rectitudinis inesse debita. Hæc sententia satis tum inter antiquos Scriptores, tum modernos est communis: eam tenet Scotus in 2. d. 37. Halensis 2. p. q. 94. membro 2. Durandus d. 34. q. 2. Gabriel. Aureolus, Gregorius. Marfilii, Major, & alii. Eandem sequitur Bellarminus lib. 2. de peccatis, cap. 5. & 18. Valentia 1. 2. d. 2. q. 13. punct. 3. & disp. 6. q. 1. punct. 1. Suarez d. 11. Met. sect. 1. num. 17. Acorto. 1. lib. 4. cap. 1. q. 6. Salas q. 18. tract. 7. d. 3. sect. 2. Salmeron tomo 2. tract. 14. Tannerus 1. 2. dist. 2. q. 5. dub. 2. & d. 4. q. 1. dub. Granado Controv. 6. tract. 1. Disp. primâ, sect. 2. num. 7. & alii. Ex antiquioribus verò præter citatos idem tenet S. Bonaventura in 2. dist. 34. art. 2. q. 3. Richardus a. 1. q. 7. & dist. 35. art. 1. q. 1. Okam quodlibeto 3. q. 15. Capreolus distinctione 35. quest. unicâ, artic. tertio, cum aliis.

III.
Alia est sententia per se etiam differtur.
Probatur hæc sententia primò: in omni quippe peccato est privatio rectitudinis inesse debita, ratione cujus, actus ille positivus redditur malus, & rationi difformis. Sed contrâ; nam præterquam quòd, ut postea ostendetur, actus ipse positivus per se & suam entitatem sit rationi difformis,

IV.
Odiu excludit amorem boni et per suam entitatem malum.
Impugnatur hæc ratio primò: ista enim privatio vel est carentia rectitudinis inesse debita subiecto, vel actui; si primum, ergo actus est malus, non per aliquid privativum, sed per suam entitatem positivam, ideo enim esset malus actus odii exempli gratiâ quia est causa carentiæ rectitudinis debita inesse subiecto, quæ rectitudo secundum hos auctores est amor, sed odium secundum suam entitatem præcisè est causa carentiæ amoris, cum hunc formaliter per suam entitatem excludat, ergo odium per suam entitatem est malum.

V.
Alia est diffinitio ad rationem in odio habenda Deum, alia in cum non amato.
Dices: denominari odium malum à negatione amoris. Contrâ primò: alia namque est diffinitio in ordine ad rectam rationem in odio Dei, alia in eum non amando, etiam quando urget præceptum amoris, & illa est hac multò gravior, ut videtur manifestum, sicut non dare eleemosynam & aliena rapere, non liberare hominem è manibus eum occidentium & vulnus ei lethale infligere, & alia hujusmodi. Contrâ secundò: frequenter enim contingere potest, ut quis actum odii eliciat, quando non urget præceptum amoris; præcepta enim positiva secundum omnes non obligant pro semper, ergo inhonestas odii non est negatio amoris, sed ipsa positiva entitas odii.

VI.
Non operatur plerumque homines per actus reflexos, & in actu signato, sed in actu exercito.
Dices secundò: licet quidem absolute, & in sensu diviso volitionis odii, non teneatur quis elicere actum amoris Dei, ex suppositione tamen quod velit circa Deum versari, tenetur elicere actum amoris. Contrâ: non enim habet quis actus hujusmodi pravios, quibus in actu signato prius versari velit circa hoc vel illud objectum, ita ut amor, odium, & alii actus positivi sint formali.